quem colis, dicit Augustinus. τί ὅστι χριστιανισμός; θεοῦ ὁμοίωσις κατὰ τὸ ἐνδεχόμενον ἀνθρώπου φύσει, dicit Basilius. Qui vult plenè & sapidè verba Christi intelligere (inquit religiosissimus thomas à Kempis, lib. 1. de imitat. Christi, cap. 1:) oportet, ut totam vitam suam studeat illi conformare. Quid prodest tibi alta de Trinitate disputare, si careas humilitate, unde displiceas Trinitati? Si scires tota Biblia & omnium Philosophorum dicta, quid totum prodesset sine charitate DEI & gratia? Vanitas vanitatum & omnia vanitas, præter amare DEUM, & illi soli servire. Finem loquendi pariter omnes audiamus: TIME DEUM, ET MANDATA EJUS OBSERVA. DIXI.

Ecclesiast. 12. v. 13. 14.

Errata graviora sic corriget æquus Lector.

A 2. f. a. l. 17. pro quam aliud. leg. aliud quàm. A 2, f, b, l. 8, pro iCves leg. Cives. A 3, f. a, l. 16. pro cum leg. eum.

B 1, f. a. l. 25, pro Tantem leg. Tantum. B 1, f. b, l. penult pro olarè leg. clare. B 2, f. a. l. 26. pro inducia leg. indicia. B 3, f. b, l. 21. pro Dominatur *l.* Dominator. *ibid. l. 27, ante* Dominatorem *insere, qui. B 4. f. b, l. 1, pro* πιςεύσητε *leg.* πιςεύσετε

C 1, f. a. l. 13. post Jesu insere Christo. C 1, f. b, l. antepen. pro suum leg. sum. C 2, f. b, l. antep. pro pinguc dine l. pinguedine. C 4, f. a. l. 24, pre insomnis leg. in somnis. ibid l. 26. pro vocalis leg. vocabis.

D. 2, f. a. l. 14. pro propititationem leg. propitiationem. D 3, f. a. l. 30. pro sacro modo leg. suo modo. ibid. f. b. l. 30. pro vltam leg. vitam. D 4, f. b. l. penult pro λύτον *lege* λύτρον.

E 2, f. b. l. 5. resipieentia, leg. resipiscentia. E 3, f. a. leg: Qui servum Domini se venditat.

quem colis, dicit Augustinus. τί ὅστι χριστιανισμὸς; θεοῦ ὁμοίωσις κατὰ τὸ ἐνδεχόμενον ἀνθρώπου φύσει, dicit Basilius. Qui vult plenè & sapidè verba Christi intelligere (inquit religiosissimus thomas à Kempis, lib. 1. de imitat. Christi, cap. 1:) oportet, ut totam vitam suam studeat illi conformare. Quid prodest tibi alta de Trinitate disputare, si careas humilitate, unde displiceas Trinitati? Si scires tota Biblia & omnium Philosophorum dicta, quid totum prodesset sine charitate DEI & gratia? Vanitas vanitatum & omnia vanitas, præter amare DEUM, & illi soli servire. Finem loquendi pariter omnes audiamus: TIME DEUM, ET MANDATA EJUS OBSERVA. DIXI.

Ecclesiast. 12. v. 13. 14.

Errata graviora sic corriget æquus Lector.

A 2. f. a. l. 17. pro quam aliud. leg. aliud quàm. A 2, f, b, l. 8, pro iCves leg. Cives. A 3, f. a, l. 16. pro cum leg. eum.

B 1, f. a. l. 25, pro Tantem leg. Tantum. B 1, f. b, l. penult pro olarè leg. clare. B 2, f. a. l. 26. pro inducia leg. indicia. B 3, f. b, l. 21. pro Dominatur *l.* Dominator. *ibid. l. 27, ante* Dominatorem *insere, qui. B 4. f. b, l. 1, pro* πιςεύσητε *leg.* πιςεύσετε

C 1, f. a. l. 13. post Jesu insere Christo. C 1, f. b, l. antepen. pro suum leg. sum. C 2, f. b, l. antep. pro pinguc dine l. pinguedine. C 4, f. a. l. 24, pre insomnis leg. in somnis. ibid l. 26. pro vocalis leg. vocabis.

D. 2, f. a. l. 14. pro propititationem leg. propitiationem. D 3, f. a. l. 30. pro sacro modo leg. suo modo. ibid. f. b. l. 30. pro vltam leg. vitam. D 4, f. b. l. penult pro λύτον *lege* λύτρον.

E 2, f. b. l. 5. resipieentia, leg. resipiscentia. E 3, f. a. leg: Qui servum Domini se venditat.

THOMÆ BAYLÆI
MANINGFORDIENSIS
Ecclesiæ Pastoris.

DE
MERITO MORTIS CHRISTI,
ET MODO CONVERSIONIS.

DIATRIBÆ DVÆ.

PROVT AB IPSO IN SCHOLA THEOLGICA APVD OXONIENSES publicè ad disputandum propositæ fuerunt Maij. 8. An. Dom. 1621.

Nec non Concio ejusdem ad Clerum.

APVD
Eosdem habita in templo Beatæ Mariæ,
Iulij 5. *An. D.* 1622.

OXONIÆ,
Excudebant *J. L.* & *W. T.* Impensis
Thomæ Huggins, A.D. 1626.

THOMÆ BAYLEI
MANINGFORDIENSIS
Ecclesiæ Pastoris.

DE

MERITO MORTIS CHRISTI,
ET MODO CONVERSIONIS.

DIATRIBÆ DVÆ.

PROFF. AB IT SO IN SCHOLA
THEOLOGICA APVD OXONIENSES
ses publicè ad disputandum
propositæ fuerunt Mag. 8.
An. Dom. 1621.

Nec non Concio Gustavus
Clerum.

APVD
Eosdem habita in templo Pauli Pastoris
Julij 5. An. D. 1622.

OXONIÆ,
Excudebant J. L. & M. T. Hunnis
Thomæ Huggins, [illegible]

ILLVSTRISSIMO VIRO THOMÆ COVENTREIO EQVITI AVRATO,

MAGNIQVE ANGLIÆ SIgilli Custodi Honoratissimo,

τὸ εὐδαιμονεῖν.

DVo præcipuè mala sunt, Amplissime Senator, quibus Ecclesiam Christi subruere conatur malorum omnium artifex Diabolus: Doctrinæ scilicet & Morum corruptela. Quæ ambo si in vnum convenerint, et Theologorum linguas manusq; occupaverint, horrendum sanè cogita-

tu est, quantum damni exinde subo-
riri soleat populo Christiano. Quum
enim homines à naturâ omnes ad vi-
tia magis sint, quàm virtutem pro-
pensi, et errorem citiùs amplectantur
quàm veritatem: vtiq; á pastoribus
suis in devia, tum dextram versus
tum sinistram a recto veritatis
ac virtutis tramite facilius abducun-
tur. Quamobrem vt pro modulo
meo, hos Satanæ conatus impedire
possim vel tantillum retardare, duas
hasce qualescunq; lucubrationes, al-
teram quidem in Errores Arminia-
nos: alteram verò in effrænatos homi-
num mores, curaui publicandas. Fa-
teor me in earum neutrâ, quod vo-
luerim, præstitisse, multò minùs quod
debuerim. Quinimo in vtrisq; me
tenuitatis meæ impendiò admodùm
pudet: Nihilominùs tamen publi-
cari

cari eas volui atq; in lucem prodire vel illorum certè causâ qui summis Animi, Artisq; dotibus insigniti sunt; vt, cùm me imbecillum, et inermem plane, tantum discriminis adijsse conspexerint; erigant ipsi se, et strenuè id agant, penitusq; effectum dent, quod ego tantùm audacter sum aggressus; sed acumine, judicio, et literarij varietate, quibus affluunt illi, destitutus, perficere nequaquam potui. Jam verò Libellus iste, Honoratissime Custos, sub Honoris tui nomine ac titulo apparere inprimis gestit; vt, si (quod in votis maximè est) Tuo fuerit judicio comprobatus, quasi Magno Angliæ Sigillo consignatus prodeat: et tuâ saltem gratiâ apud Ecclesiam Dei pluris æstimetur. Exile hoc gratitudinis testimonium, humillimè peto, vt accipere digneris, Vir Præstantissime

Cui

Qui longè plus debeo quàm solvendo unquàm sim, pro singulari illâ Tuâ in me benevolentiâ quam nuper re et verbo testatus es: cum tibi me de facie quidem, nedum de vllâ meliore notâ tenebricosus innotueram. Deus Optimus Maximus Te huius Reipublicæ nostræ et Ecclesiæ bono diutissimè servet incolumem, quàm nec non hæredem scribat æternæ felicitatis.

Dominationi Tuæ

omni obsequio

humilimè devotus,

THOMAS BAYLAEVS.

ERRATA.

ERRATA.

Epist. Dedic. diutissimè: lege quàm diutissime. Præfat. ad Lecto. adherere: leg. adhærere. prævalentem: leg. prævalentem.

Pag. 8. lin. 8. velim apertiùs: leg. velim, apertiùs. pag. 13. lin. 7. Dominus tantùm: leg. Dominus; tantùm. p. 22. lin. 19. liberis, leg. in liberis: p. 23. lin. 18. vt: leg. vtvt. pa. 24. lin. 21. ſuipſius: leg. ſuijpſius. p. 28. lin. 18. pro ut: leg. prout. p. 57. lin. 22. ἀπολείας leg. ἀπωλείας. p. 58. lin. 24. Abſit vberiorem: leg. Abſit: vberiorem.

Præter ea, quæ in punctis & notulis deſiderantur, non eſt erratum aliquod, quod Lectorem moretur.

PRAEFATIO ADLECTO-REM CHRISTIANVM.

EN tibi, Humaniſſime Lector, volumen ſat exiguum, quod tametſi nec immeritò, inſulſum videatur & inſipidum palato cuiuis doctiori: hoc tamen ſalis condimentum habet, quòd, breue cum ſit, diutiùs nemini ingratum eſſe queat. Eius imprimendi cauſa quidem eſt, vt iniquis quorundam criminationibus eatur obviàm, qui me in Arminij caſtra tranſfugiſſe & dixerũt olim, & etiamnũ hodiè dicunt. Fortaſſis etiam, vbi ſententiæ meæ declarationem viderint in ſecundâ quæſtione, Remonſtrantium me partibus adherere, vel adhuc ſuſpicabuntur. Verum enimverò ſi hæc mea cum

illorum scriptis conferre voluerint, & diligentiùs comparare: omnino tres, easq; immanes inter me, & illos, animadvertere possunt & observare discrepantias. Quarum, prima cernitur in *Gratia habituali infusâ*. Quam ego quidem astruo, illi autem pernegant, figmentum eam Scholasticorum appellantes. Quum reverà tamen prima sit & præcipua pars conversionis nostræ; ipsa Dei imago in nobis redintegrata, ipsa adeo ἐντελέχεια Electorum animas earumq; facultates actuans et informans. Secunda perspicitur *in salutaris Gratiæ operationibus*, quas ego Electorum proprias esse puto; Illi etiam reprobis impertiunt, & vtrisq; pariter communes faciunt. Tertia deniq; clarescit in *ejusdem gratiæ efficacia*. Cui ego vim tribuo arbitrium determinandi, ad actus verè bonos ac spirituales, adeo potentem, adeo prævalentem: vt voluntas humana, eo temporis puncto, quo Deus velit, infallibiliter & certò assensum præbeat & actu conuertatur. Illi verò Gratiam hanc Resistibilem esse volunt, vsq; adeo Resistibilem: vt homo convertendus, si converti nolit, inconversus vtiq; maneat

neat, æternumq; pereat; quidquid Deus in contrarium fecerit, vel externè per verbum vel internè per Spiritum Sanctum; vtcunq; etiam Deus conuersionem salutemq; ejus & seriò intendat, & sedulò, quantum in se est, promovere studeat. Ex hac demũ Apologia & Libello subsequente, omnibus constat, vel constare saltem potest, me purum putum Protestantem esse, eumq; semper æstimari velle, qui se Papismi, Arminianismi, nec non horum temporum Libertinismi, hostem profiteatur.

Vale.

Tuus, *T. B.*

An pro omnibus & singulis hominibus mortuus fuerit Christus? Neg.

QVos certò novit perituros, quósq; Gehennæ
Destinat, hos propter Christum obijsse putem?
Atqui nemo suos vult frustra expendere nummos,
Nedum sanguineas fundere Christus opes.

An sit penes hominem suam ipsius Conversionem impedire? Neg.

QVicquid agit patitur, patiens reagendo resistit,
Sed Deus omnipotens omnipotenter agit.
Vult te converti Deus Arminiane? necesse est
Convertare. Deum vincere nemo potest.

AN

QVÆSTIO I.

An pro omnibus & singulis hominibus mortuus fuerit Christus? Neg.

QVÆSTIO II.

An sit penes hominem suam ipsius conversionem impedire? Neg.

SCio vos Academici, judices esse, & quidem Areopagitis multò justiores æquioresq;. Quod ergo illi edicto præceperunt, vt coram ipsis perorantes sine proœmio causam dicerent: illud à vobis in præsentiarum, nullo negotio impetratum iri, faci'è confido. Missis itaq; ambagibus, & Theologiæ laudibus non neglectis aut insuperhabitis, sed consultò prætermissis: ad ip-

sas adeo quæstiones breuitèr & scholastice enodandas memet accingo.

In primâ quæritur de amplitudine redemptionis, quousque pertingat ea, & quàm latè pateat. Hîc verò in ipso orationis limine, ne quid de merito Dominicæ Passionis diminutum ire videar, brevis in antecessum præmittenda est distinctio. Mors itaq; Christi bifariam consideratur, vel quoad dignitatem passionis, vel quoad voluntatem patientis. Priore modo sufficiens est, abundè sufficiens, omnibus omnium omninò hominum peccatis expiandis, etiam mille mundorum, si tot essent mundi. Posteriore, Electorum solummodò reatibus eluendis sufficit, quia his solis à Deo ac Domino nostro destinata fuit. Nimirum aliud est dicere, Christi mortem pro omnibus, & singulis sufficientem esse; aliud Christum pro omnibus & singulis sufficienter mortuum esse. Illud valorem indicat & precium mortis: hoc finem denotat, & scopum morientis. Prius, vtpote verum, constanter affirmamus: Posterius, ut falsum, pertinaciter negamus: eodem nixi fundamento, quo doctissimus Rainoldus, qui plausibilem illam Acquinatis

quinatis distinctionem, *sufficientiæ & efficaciæ*, quâ Christum pro singulis generum sufficienter mortuum asserit, sed efficaciter tantùm pro generibus singulorum, ridiculam facit, nobisq; irrideridam propinat in Apologiâ Thesium, paragraphis decimo tertio, & decimo quarto. Res igitur quam tuemur ac defendimus in aperto est, & vno duntaxat argumento, extra omnem controversiæ aleam breviter sic ponenda.

Christus ex voluntate Patris & sua, pro solis electis mortẽ perpessus est, ergo non pro omnibus & singulis hominibus. Hujus ẽthymematis si partẽ firmavero antecedentem, dẽ consequẽte posthac nullus erit dubitandi locus. Christũ verò pro solis electis mortẽ gustâsse, testatur ipse Christus: Ioh. 10. 14. 15. *Ego sum pastor illebonus, & agnosco meas, & agnoscor à meis. Quin et animam meam depono pro ovibus*; non pro hœdis, sed pro *ovibus*, id est, pro electis, pro electis solis: nam ij soli agnoscũt Christũ, ij soli agnoscũtur à Christo: Ioh. 10. 27. Ioh. 8. 47. Mat. 7. 23. Hîc ergo pro ovibus animam deponere, est pro solis electis mortem oppetere. Testatur Paulus ad Ephes. 5. 25. *Christus dilexit ecclesiam, &*

semetipsum exposuit pro ea. Dilexit & exposuit, hoc est ex amore summo erga eam, exposuit se pro ea. *Maiorem enim dilectionem nemo habet, quam istã, vt quis animam suã deponat pro amicis suis*, inquit Salvator, Ioh. 15. 13. omnes autem Christus amore summo complexus non est. *Esavum enim odio habuit*, Mal. 1. 2. Rom. 9. 13. Ergo vt solam Ecclesiam dilexit, sic pro sola Ecclesia semetipsum exposuit. Ecclesia autem est cœtus electorum Dei, quod Petrus aperte indicat, qui factus duxit electam nominare, quum ecclesiam indigitaret, 1 Pet. 5. 13. & Paulus postquam scripserat, *se omnia tolerare propter electos*, 2 Tim. 2. 10. Hoc alijs verbis explicans, se facere dixit, *pro corpore Christi, quod est Ecclesia.* Col. 1. 24. Testantur deniq; viginti quatuor seniores in Apocalypsi Iohannis, qui in honorem agni vociferantes clamant. *Redemisti nos Deo, per sanguinem tuum ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione*, Apoc. 5. 9. Ex omni tribu, ergo non omnem tribum; ex omni linguâ, ergo non omnem linguam; ex omni populo & natione, ergo non omnem populum & nationem sanguine sub redemit Christus. Quod si non omnes, alios

quos

quos tantùm, nempe Electos. Nam electio est ejus quod præ alio legitur, inquit Nemesius. Atq, si credamus Angelo, hinc *Servatoris nomen adeptus est: vocabis nomen eius Iesum, ipse enim liberabit à peccatis suis.* quos? aut quem? num omnem omninò populum? *imò populum suum*, inquit Angelus: Mat. 1.21. id est populum, *quem præcognovit*: vti Angelum exponit Apostolus: Rom. 11. 2. Præcognoviſſe autem, eſt *ante jacta mundi fundamenta elegiſſe*: ex Apostolico vocis vſu: Rom. 8.29.

Hæc, Auditores, adeó clara ſunt, ut nihil clarius. Et ne quis forſuan vocabulo [*omnes*] in errorem inducatur; quod alicubi dicat ſcriptura, *Chriſtum ſe dediſſe Redemptionis pretium pro omnibus*. Illud alibi per [*multos*] coarctat & reſtringit eadem ſcriptura. Heb. 9.28: *Chriſtus ſemel oblatus eſt, vt tolleret peccata multorũ*. Mat. 26.28: *hic eſt ſanguis meus qui pro multis effũditur*. Mar. 10.45.: *venit filius hominis vt daret animã ſuam redemptionis pretiũ pro multis*. Multos appellans qui electi ſunt omnes. Nã in electis, *ab omni generalitate diſcretis, ſpecialis quædam cenſetur vniverſitas*: *vt de toto mundo totus mundus liberatus, et de omnibus homi-*

bus omnes homines videantur assumpti? Inquit Author de vocatione Gẽtiũ li. 1. cap. 3. Facessat igitur Remõstrátes cũ incõdita sua distinctione Impetrationis & Applicationis, quã nec in sacris literis, nec in sanctis Patribus fundatam est inuenire. Prosper diserte ait et exclusiuế, de Christo, quod pro his tãtũ crucifixus dici possit, quibus mors ipsius profuit. Augustinus salè ridet eos, qui aliter dicere et sentire videntur. *Redimuntur (inquit) sed non liberantur, lavantur sed non abluuntur: hæc sunt sententiarum portenta vestrarum, hæc paradoxa Pelagianorum Hæreticorum.* Sic Augustinus: quem cum audijstis, omnem quodãmodo vetustatẽ audijstis. Nam est reuerà solus ille τολλῶν ἀνδρῶν ἀνταξιος ἀλλῶν. nolo igitur pluribus immorari. Vnus tãtùm restat eximendus scrupulus, qui me multùm, diùq; solicitum habuit. Nam acerrimè pugnant ex aduerso Remonstrantes, et fortiter intorquent hujuscemodi argumentum. Etiã Reprobi inquiunt, obligantur ad fidem, et tenentur Christum pro se crucifixum credere. Ergo aut pro Reprobis Christus crucifixus est, aut tenentur illi credere mendacio. Ignitum hoc Satanæ telum, quò repellant

Theologi

Theologi quidam nostri, opponunt ei clypeum infirmæ responsionis. Dicunt enim, Reprobos non teneri absolutè, Christū pro se crucifixum credere, sed sub hac demùm conditione, si conuertantur. Sic respondet Molinæus, & ante eum Collatores Hagienses Contra-Remonstrantes. Sed pace dixerim tot tantorumq; virorum, solutio hæc nullius est roboris, nihil prorsus valet, imò seipsam iugulat. Quid enim? annon fides est ipsa conuersio, vel pars saltem conuersionis aliqua? cum itaq; dicunt teneri Reprobos in Christum credere sub hac conditione si conuertantur: perinde est ac si dixissent, teneri eos in Christum credere, si in Christū credant. Quod est, idem per idem, vt loquuntur in scholis. Hâc igitur non succedit, aliâ aggrediendum est viâ. Et quēadmodū Elihu Iobum allocutus est, ita me vos compellare oportet, Academici; *Auscultate mihi, ostendam sententiā meam ego quoq;*. *Iob.* 32. 10. Quod tamen debitâ cum reuerentiâ dictū sit, & saluo vestrorum omnium iudicio, qui adestis; tuo præsertim, Doctissi: Moderator, cui si minùs placeant, quæ dicturus sum, haud facilè possunt alijs arridere.

Nempe

Nempe igitur vt mihi saltèm videtur, duplici modo occurrendum est Enthymemati Arminiano, vel negando scilicet Antecedentem, vel, si id fieri non possit, aut non debeat, Argumentum inficiando. De vtroque dicendum est, ac de priore quidem in duabus distinctè propositionibus, vt eò, quid velim apertiùs, intelligatur. Sic itaque habet propositio prima:

1 *Nusquam Reprobis à Deo imperatum videtur vt Christum pro se crucifixũ credant.* Non hoc solus asséro, asserit idem Amesius noster & nostrâs in Coronide suâ ad articulum primum. Vbi cum dixissent Remonstrantes, vocationem quæ per evangelij prædicationem fit (quid vero aliud ex parte est vocatio per evangelium, quàm mandatum credendi in Christũ?) cùm dixissent ergo Remonstrãtes, vocationem illam concedi etiam non Electis. Respondet Amesius, concedi quidem nõ electis, sed eodẽ modo, quo solis lumen conceditur ijs qui oculis capti sunt, non eorum causa propriè cõmunicatur illud lumen, sed videntium; ipsos tamen extrinsecùs verberat, & quodammodò irradiat, ita planè contingit in spirituali hac illumi-

illuminatione; vt ad reprobos multos aliquo modo perveniat, quamuis ad Electos propriè tum pertineat, tum etiam a deo dirigatur. In hunc sensum, & in hæc ferè verba loquitur Amesius. Quibus non repugnat, quod Servator noster ad Iudæos effert in Evangelio Iohannis cap. 5. v. 34. & 40. *Hoc dico vt vos servemini, Sed non vultis ad me venire, vt vitam habeatis.* Nam Christus hæc locutus est, non quâ Deus, sed quâ homo. Qua autẽ homo erat & minister evangelicus, omnino nouerat cujus essent farinæ, qui ipsum audiebant, electine an rejectanei. Omnes itaq; incredulos obiurgabat, vt hac ratione aliquos saltem Deo lucrifaceret. Et nonnulli forsan eorum, quos in hunc corripuit finem, postea conuersi sunt, et in eum crediderunt. Vt cunq; fuerit, potuit sanè Christus quâ homo, bene cupere illis, quos, quâ Deus nouerat esse reprobos: ut rectè Molinæus. Sic igitur se res habet. Latent electi in turba reproborum, & ea propter mandatum fidei pertingit vsq; ad reprobos, eorum aures circumsonat, ad eos quodammodo pertinet, impropriè quidem & per accidens, propriè tamen & per se, ad electos tantùm spectat,

ctat, ijsq; solis à Deo intenditur ac destinatur. Quid ergo dixerit quispiam? nullane exigitur fides à reprobis & rejectaneis? Imò fides aliqua, sed non hæc fidei species. Tenentur credere; agnosco, sed distinguendum est de re credenda. Tenentur credere Christum, Christo, sed non in Christum. Tenentur credere evangelio fide historica, non tenentur credere promissis evangelicis fide salvificâ. Nec tamen immunes sunt aut esse possunt à reatu, qui Christum quomodocunq; oblatum reijciunt, aut vilipendunt. Sed, quod habetur in secunda propositione.

2 *Peccant reprobi, vel non credendo in Christum, etiamsi vt credant nullibi in sacris literis jubeantur.* Peccare eos manifestum est, neq; enim aliter dixisset Christus, quod dixisse perhibetur Iohan 3. 18. 19. *Qui non credit jam condemnatus est, quia non credidit in nomen vnigeniti Filij Dei. Hæc est autẽ condemnatio, quòd lux venit in mundum, sed dilexerunt homines potiùs tenebras, quàm lucẽ.* Cur verò peccent culpæq; affines sint non credendo, qui nullã fidei legem transgrediuntur, ratio videtur esse, quia ad ipsos, quantùm ipsi intelligunt, mandatũ credendi pertinet. Quæ ratio

pec

per se quidem illustris, vnica, similitudine fiet illustrior. Rex aliquis aut Princeps publicari jubet legem, cui subditos suos obedire vult, non quidem omnes, sed aliquos tantùm, quos verò intendit, nominatim non designat. Hoc vbi fit, quilibet subditorum, nisi rebellis aut contumax videri velit, necesse habet legi promulgatæ pro viribus obtemperare. Nam verba legis attendenda sunt, non intentio legislatoris, quæ occulta est, & nemini innotescit, & quicunq; se disertè excluſum non videt, meritò incluſum suspicari potest. Pari modo, Evangelium, quod est fidei lex, prædicatur in ecclesia visibili, quam *corpus Christi permixtum* vocat Augustinus, eò quod hœdis constet ovibusq; simul mixtis: Evangelium autem est vox Christi Regis, qua ad fidem incitantur & vocantur Electi, & ij quidem soli, ex vocantis intentione: quia tamen reprobi, eandem simul vocem haurientes, nesciunt se reprobatos esse, nec quicquam sciunt, quominus sint ex numero Electorum Dei, non possunt certè non putare etiam sibi hoc incumbere ex officio, vt Christum fide amplectantur: quod nisi præstiterint, aut præstare saltem

conentur, inobedientes valdè sunt, et grauiter delinquentes. Ad quod enim quis conscientiâ se devinctum putat, id omninò facere debet, nec sine peccato potest omittere, etiamsi vt faciat nulla Dei constringatur lege, præterquam generali illâ, quâ vetamur omnes reluctari, aut obuiam ire conscientijs nostris. Hic primus est respondendi modus, qui sola constat negatione Antecedentis.

Quod si neganda non sit antecedens propositio: agè, concedamus veram. Tum verò modus respondendi secundus negabit Argumentum. Non enim sequitur. Reprobi tenentur ex mandato Dei Christum pro se crucifixum credere. Ergo Christus pro illis reuerà crucifixus est. Rationem quæris? in promptu est. Mandata jubent, non affirmant: jubent aliquid fieri, nihil affirmant factum esse. Ab oratione autem mandatiua ad enuntiatiuam consequentia minimè valet. Atqui verò dices, nonne absurdum planè est, vt teneantur homines credere mendacio? Absurdum procul dubio, à quocunq; demum imperetur. Sed hoc non fit a Deo vspiam in præceptis suis. Reuerà quidem si

dixisset

dixisset vnquam Dominus, Christum pro Reprobis & Rejectaneis mortuum fuisse, cum pro illis tamen mortuus nequaquam fuerit, & postea præcepisset vt hoc crederent, vtiq; per mandatum ejus adigerentur homines ad credendum mendacio. Sed nunquam hoc dixit Dominus tantum jubet vt credatur. In iussionibus autem & mandatis, quæ nihil affirmant, nihilq; ponunt in esse, spectanda non est rei mandatæ veritas, sed personæ mandantis authoritas. Iubentur ergo Reprobi Christum pro se & suà ipsorum gratiâ defunctum arbitrari, quod si crederent, mendacio nihilominùs fidem non adjungerent, sed fiduciam solummodó haberent de eo, quod non est, sive de non ente. Nam veritas & falsitas orationi solum enunciativæ competit, non autem imperativæ, secundum Logicos. Quorsum verò spectat mandatum de non ente? Aut cur jubentur Reprobi id credere quod non est, nec esse quidem potest? Respondeo; Novit Deus (qui nihil non novit) eos non posse credere, nec in hunc finem proponit ijs mandatum credendi, vt eidem obtemperent, sed duntaxat, vt eorum hoc pacto conscientias

verberet & flagellet (nam sic merentur excipi) vtq; eos insuper arguat, & convincat perversæ illius incredulitatis, quam suâ culpâ sibimet accersiverunt. E duabus istis responsionibus, quæ potior sit, & proposito accommodatior, viderint docti: nam meum certè non est dijudicare. Nec de alterutrâ quicquam θετικῶς affirmare ausim, contentus in re longè difficillimâ sententiam proposuisse tantùm problematicè. Ac de primâ quidem quæstione sic videtur statuendum.

In secunda agitur de vi & efficacia salutaris gratiæ, sitne ea resistibilis, necne. Cæterùm quia voces hæ, *Resistibilis*, *Irresistibilis*, nihil sint aliud quàm excrementa Iesuitarum: consultius visum est controversiæ statum ita instituere: *An sit penes hominem convertendum*, scilicet ex proposito Dei, *suam ipsius conversionem impedire*, finalitèr intellige, vel sic impedire, *vt nunquam fiat*. Hîc vt supra tuemur negativam.

Est autem conversio, (vt à tudi ejus incipiam descriptione) mutatio hominis, vel translatio quædam à statu peccati, in statum gratiæ. *Mutatio dextræ Excelsi*: ut eam à causa deducit

deducit Concilium Arausicanum. Est (ut ita dicam) reparatio & restauratio hominis lapsi ad imaginem Dei, facta per Spiritum Sanctum, qui fortior est mundo.

Hujus conversionis, ἐν τύπῳ, sic descriptæ, & tanquam delineatæ, duo sunt distinguendi actus, *primus & secundus*. *Actus primus* est infusio bonorum habituum, putà, Fidei, Spei, Charitatis, & similium. *Actus secundus* est productio bonarum operationum, sive immanentes illæ sint, sive transeuntes. Vocat certè Dominus suos per externam Evangelij prædicationem, jubetq; converti. Verum sicut Adamo olim in statu innocentiæ, primò Deus imaginis suæ & justitiæ originalis quasi succum infudit: deinde vetando, jubendo, minando, & promittendo, bonorum operum fructus potenter elicuit suaviterq; eduxit: ita etiam nunc, & multò quidem magis, homini post lapsum instaurando, *Gratiam priùs habitualem*, (quæ ipsa conversionis anima est) instillari oportet, per efficacem Spiritus Sancti operationem: quàm Deo vocanti respondere potest, per liberæ suæ voluntatis assensum: instillari, inquam, non in mentem modò & affectus inferiores,

sed

sed in ipsam etiã voluntatem, quâ potens fiat, & idonea, ad obiectum supernaturale assensu simul & amore amplectendum. Secus enim fieri non potest, ut voluntas, in peccato cum cæteris animæ facultatibus mortua, quicquam agat vltra vires suas, quæ tantùm naturales sunt, & naturæ ambitum excedere nequaquam possunt.

Sedes & subjectum primi Actus conversionis, est tota hominis Anima, secundi, totus homo animatus. Tota anima cum omnibus ejus singulisq; facultatibus, non quòd habitus vlli facultatibus intelligendi, volendi, appetendi insideant. Nam accidens non inhæret accidenti, sed in ipsius animæ substantiâ, in tota quidem animâ intelligente, volente, appetente, locum habent, & domicilium habitus boni: sicut bonæ operationes, in toto homine animato. Quemadmodùm enim Aristoteles, oculus videt, non anima: sic ego, non est anima quæ credit, non est anima quæ sperat, non est anima quæ edit, exeritq; actiones pias & justas, sed homo animatus. Nam certum est, *actiones suppositorum proprias esse, hoc est totorum esse non partium*; ut * Aquinas interpretatur, Conversio

2ª.2æ q.58. art.2.

igitur

igitur vel τὸ converti in Actu secundo, non est tantùm credere, vt quidam opinantur; sed etiam resipiscere, dolere de peccatis, Deum diligere, proximum amare, quidlibet boni agere, & à quolibet malo abstinere. Nam istæc omnia conversionis ambitu contineri, liquidò constat ex loquendi forma, tum Scripturis, tum Scriptoribus etiam Ecclesiasticis, frequentèr vsitatâ. His positis, & fundamenti loco suppositis, superstruenda jam sunt Theoremata quædam Axiomatica, quæ sententiam nostram brevitèr, & dilucidè proponant intelligendam.

Sit itaq; Theorema primum hujusmodi. *In primo conversionis actu, quando nimirum infunduntur à Deo habitus boni, anima humana habet se merè passivè.* Habet se vt materia, inquit Paræus adversus Bellarminum. Materia autem, vti nôstis, formam in se introducendam non repellit, nec repellere quidem potest: sic nec convertendus [illegible]iam conversionis respuere omnimò valet, aut à se finalitèr abijcere. Quippe cadaver est, mortui enim sumus in peccatis, vt testatur Paulus ad Ephes. 2. v. 5. mortuus autem impedire nequit suam à mortuis excita-

tionem, nec suam igitur conuertendus a peccato resurrectionem. Efficit quidem Deus et operatur in nobis conuersionem hanc internam & habitualem, duplici instrumento, scilicet. Verbo ac spiritu.* Verbum quod attinet, illud sanè ad tempus reijci potest, & petulanter contemni. Spiritus verò vbi vult spirat, & quibus vult inspirat salutaris gratiæ habitum.

* Non m' ius verè quàm eleganter Doctiss. Professor. D.D. Pridaux in l. 4. sua 4ta. Resistere convertendi possunt Sp. Sto externè: per ministros suadenti, non internè per gratiam efficacem operanti, & qui sequuntur irresistibiliter pedo gratiæ trahentem ab eodem resiliant fistulâ tantùm verbi congregante.

Præterijt Theorema vnũ sucedat alterũ. *In secundo conversionis actu, hoc est, in productione bonarum operationum, sive intùs immanentium, sive foras emanantium, homo convertendus habet se, partim activè, partim passivè.* Activè, nam *certum est, nos velle, cùm volumus, certum est nos facere cùm facimus*; Passiuè, *Sed Deus facit vt velimus, Deus facit vt faciamus*; vt præclarè Augustinus. Gratia non credit, gratia non resipiscit, non sperat, non obtemperat Deo, sed homo per gratiam. Opera enim hominis bona, quæ verè quidem bona sunt, agit homo ipse, sed actus à Deo. Nam acti agimus. Quousq; autem à Deo agamur, et quæ sint partes nostræ in agendo bonum spirituale, id in ijs quæ sequuntur

quuntur Theorematibus pro tenuitate meâ ostendere conabor.

Prodeat itaq; in scenam Theorema tertium. *Habitualitèr conversus, non potest actualitèr, aut bene velle, aut bene facere sine gratia* Dei *actuali, constanter simul et fortitèr assistente.* Lombardus Augustini premens vestigia, gratiam appellat cooperantem. Ejus verò necessitatem clamat celebre illud effatum Apostolicum. *Deus est qui efficit in vobis & ipsum velle, & ipsum agere.* Philip. 2. 13. nec non illud Christi ad discipulos suos. *Sine me nihil potestis facere.* Ioh. 15. 5. His concinunt patres Milevitani Can. 4. vbi secus sentientes anathemate feriunt. Milevitanis suffragantur Arausicani Concil. 2. Can. 6. vtrisq; suum adjeiunt calculum scholastici fere omnes; qui hanc Spartam & diligenter ornant, & animosè propugnant adversus Durandum. Ille enim gratiam Dei assistentem vel cooperantem nullam agnoscit, solam per se habitualem, ad actus bonos bene peragendos, sufficere posse existimans. Sine Christo igitur & gratia Christi nihil possumus. Sed vlteriùs inquirendum est,

quid agat in hominibus gratia Christi, & quàm potenter influat in eorum voluntates. Fatendum sanè est, quod superiùs annotaui, singulas animæ facultates in conversione renouari, atq; ad primævam suam integritatem, quam in Adamo perdiderunt, denuò reparari. Sed cùm maxima ac præcipua lis sit & controversia de voluntate: idcircò de ea sola in sequentibus agendum erit.

Accipite ergo Theorema quartum. *Gratia Dei vt non cogit, sic neq; necessitat voluntatem hominis*, non necessitat: Ignoscite verbo; Ciceronianum non est, scholasticum tamen & perquàm significans, cujus in hoc negotio hæc mens & intelligentia est: quòd nulla Dei gratia, sive operans sit, sive cooperans, sive præveniens, sive subsequens, voluntatem hominis necessariò moveat ad exercitium actus, necessariò inquam: voluntas enim libera est, & liberè se ad agendum applicat; vsq; adeò liberè, vt dicat acutissimus Junius, De peccato primo Adami Quæst. 1. cap. 4. *Si voluntas est, libera est; Si non libera, ne voluntas quidem est.* Augustinus itidem in genere de omnibus creaturis, &

consequenter de voluntate: *Sic administrat [Deus] omnia quæ creauit, vt etiam ipsa proprios exercere & agere motus sinat.* De Civit. Dei lib. 7. cap. 30 Si ergo voluntas libera sit, & libere agat, idq, annuente, ac permittente Deo, qui hanc ei proprietatem à principio indidit, eamq; perpetuò servat incolumem: certè per gratiam Dei nequaquam necessitatur. Nec vlla quidem ei potest inferri necessitas, quin ejus simul periclitabitur libertas. Potest quidem spontaneitas cum necessitate consistere, libertas non potest. Qui aliter statuunt, aut malè sentire videntur, aut liberum & spontaneum pro eodem sumere, quum disparata sint longéq; diversa.

Quartum Theorema liberè quod voluit elocutum est, sententiam verò ejus, ne malè accipiatur, ab omni erroris macula & suspicione liberat quintum. *Gratia Dei vt cunq; non necessitet voluntatem hominis, eandē tamē prædeterminat ad actus verè bonos et spirituales.* Hoc est gratia Dei operans & prævenies efficit, vt voluntas liberè seipsum inclinet & determinet ad hujusmodi actus. Est enim Deo jus summè absolutum

creaturas omnes, per quod iis vti potest, & ad suas ipsarum operationes applicare, quotiescuuq; & quomodocunq; placuerit supremæ ejus majestati. Deum verò eo, quem dixi, modo voluntatem determinare, evidentiùs tradunt scripturæ, quàm vtà quoquam negari possit. Sic enim alloquitur Iehoua fœderatos suos. *Spiritum meum (inquit) ponam in medio vestri, quo faciam vt in statutis meis ambuletis.* Ezek. 36. v. 27. *faciam vt ambuletis.* Cui affine est, quod alibi dicit idem Ichovah apud prophetam alium. *Iudam illis cor vnum & uiam vnam ad reuerendum me omnibus diebus, reuerentiam mei indam ipsorum animo, vt non recedant a me.* Ier. 32. 39. 40. Hæc & his similia scripturarum testimonia, quæ legenti occurrunt sæpiùs, palàm loquuntur gratiam Dei liberis hominum voluntatibus regendis potentissimam esse, eas in obsequium flectere, & pro arbitrio ejus efficacitèr determinare.

6 Interim attendendum est Theoremati sexto. *Determinatio voluntatis, quæ fit per gratiam Dei operantem & præuenientem, non est physica, sed moralis.* Talem arbitrij

bitrij determinationem possibilem agnoscit, non modò Suarez, de auxilijs gratiæ cap. 10. sed etiam decus & ornamentum Galliæ Petrus Molinæus Anato: Armin: cap. 45. quam verò illi possibilem putant, eam ego solã (ordinariè saltem) actu & reipsà fieri contendo. Neq; enim verisimile videtur mihi, velle Deum voluntatem necessitare, ac veluti frangere, cum alijs eam modis inclinare possit & flectere ad nutum suum, multò & lenioribus, & suavioribus, & naturæ nostræ accommodatioribus. Nec tamen hanc Dei gratiã excitantem & suadentẽ pro libitu suo aspernari solent homines atq; irritam facere.

Sed, quod habet Theorema septimum, vltimumq; . *Determinatio hæc moralis, vt necessaria non sit, infallibilis tamen est & certa: ita certa, vt in articulo temporis, quem præstituit Deus, nunquam nõ assequatur finem, nunquam non sortiatur effectum. Deus enim* (quod alicubi dicit Augustinus) *magis habet in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi suas. Intus agit, intus corda mouet, corda tenet, eosq; voluntatibus eorum,*

quas

quas ipse in illis operatus est, trahit. Nimirum impossibile est, vt causa omnium prima à secundis impediatur. *Deus noster in cœlis est & quæcunque voluit fecit tum in cœlo, tum etiam in terra.* Psal. 113. Psal. 135. 6. Is igitur cùm infinitæ sit potentiæ pariter & sapientiæ, talia per spiritum suum Sanctum, & taliter taliq; opportunitate proponit argumenta, quibus certò novit certissimè persuasum iri Electorum voluntates, vt etiamsi pro innata sibi libertate dissentire possint, modò velint; nolint tamen, nec dissentiant actu, sed suadenti Deo per verbum, & per Spiritum Sanctum persuadenti, obedientes illicò sint, & aurem præbeant libentissimè auscultantes.

Hæc sunt, Doctissimi Auditores, Theoremata nostra quæ jugulum petere videntur erroris Arminiani, cujus patroni voluntatem humanam (vt scitè Bogermannus contra Grotium annotavit) *liberam facitis quasi Baronissam*, ac suipsius etiam in spiritualibus Dominam penès quam sit Deo vocanti auscultare aut refragari, adeoq; converti vel non converti, prout sibi ipsi placuerit libitumq; fuerit. verùm absit, procul absit ab Ecclesia & Scholis nostris Ἑτεροδοξία hæc, quæ Papismum

pissmum fœtidè olet & Pelagianismum, semperq; obtineat orthodoxum illud Augustini pronunciatum. *Deo volenti salvum facere, nullum hominum resistit arbitrium, sic enim velle & nolle in volentis & nolentis est potestate, vt divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* De Correpț. & Gratia, cap. 14.

Sic de propositis à te quæstionibus animi mei sententiam habes Reverende Pater.

CONCIO AD CLERVM.

IVDAE. VER. II.

Væ ipsis, nam in via Cain ambulaverunt (vel profecti sunt, vel abierunt,) & errore Balaam propter mercedem effusi sunt, & contradictione Core perierunt.

EPistola hæc (viri Patres & Fratres in Christo dilectissimi,) non tam culta, elegans, & formosa est, quàm fortis & robusta: vtpote toris, & nervis, ac firmis argumentorum ossibus ditissimè referta: quæ huc spectant,

ctant, & in hanc collimant metam, vt Iudæi, ad quos scripsit Iudas, à perditissimis morum corruptelis, quibus inficere eos conabantur falsi doctores, caverent sibi sedulò, & diligentèr prospicerent. Quidam enim subingressi erant homines nequam & impij, qui vt refert Apostolus v. 4. hujus capitis, *gratiã Dei transferrent in lasciviam*; hoc est, gratiosum Dei favorem in Christo, ansam facerent & illecebram peccandi, docentes scilicet, & è cathedra pronunciantes, neminem de vita & moribus solicitum esse debere, eò quod Deus Pater summè misericors esset, & Christus vnigenitus Dei filius quorumlibet peccatorum vice mortem obijsset. Hæc illorum pestilens erat & perniciosa doctrina, nec verò dubitandum est, quin pro vt alios docuerint vivere, ita vitam ipsi suam instituerint. Multorum enim dicta factis meliora sunt; paucorum autem facta dictis præstantiora. Quapropter vt bene consulat Iudas Iudæis fidelibus, qui in magno tunc versabantur discrimine, ne vel pravis impostorum exemplis, vel malis eorundem persuasionibus, vel vtrisq; simul à recto virtutis tramite in vitiorum devia

paulatim

paulatim abducerentur, hanc illis dedit & dicavit epistolam, in qua de periculo, ipsorum ceruicibus imminenti piè quidem monet, atq; vt sibi caueant à seductoribus illis opportunè admodùm suadet pro officio suo.

Rectâ nihilominùs non progreditur ad intentionis suæ scopum, sed obliquè disputat, seductorum vitia paritèr & exitia graphicè delineando, sic tamen, vt Iudæis tacitè colligendum relinquat, illorum facta imitanda non esse; quorum sint exitus pertimescendi. Totius autem disputationis argumentum principale in hunc potest compingi syllogismum.

Qui nequitiæ mancipati sunt, & vltrò sese ingerunt peccatorum laqueis, ij necesse est miserè pereant.

Seductores autem isti de quibus vos Iudæos præmonitos velim, tales omninò sunt & nullo non peccatorum genere seipsos coinquinant. Ergo, necesse est malè pereant, æternumq; eos maneat exitium.

Huius syllogismi maior quidem propositio deest, eiusq; in locum sufficitur eiusdem

probatio ab exemplis tribus, Iſraelitarum nempe, Angelorum, & Sodomitarum, cum vicinis; qui omnes miſerè perierunt ob peccata ſua quibus nimiùm indulſerant, vt videre eſt v. 5. 6. 7. Minor vel aſſumptio clarè exprimitur, & varijs dilatatur inſtantijs à v. 7° vſq; ad viceſſimum. concluſio nuſquam purè ponitur, aut ſeorſim diviſa, ſed venarum inſtar, aſſumptionis partes hic & illic variè intercurrit. Eius verò primus velut rivulus, ſi vbi fluat indagare velitis, inſpicite quæſo v. 11. nam is mihi hodiè in provinciam ſuſceptus, breviter fauente Deo explicandus eſt: & faueat precor Deus mihi, vos verò Academici favete linguis, & quid demum loquatur Apoſtolus diligentèr attendite.

Væ ipſis] Verba ſunt concluſionis, cuius hic prima fit mentio. Eſt autem væ particula brevis, ſed horrendæ ſignificationis, æternum illis ſuppliciũ denuncians, in quos tanquam fulmen de cœlo delabitur. Hîc verò dubitari poteſt, vtrùm væ hoc inloco precantis vox ſit, an prophetantis? cui reſponſum adhibet interpretum acutiſſimus, Apoſtolum hîc prædicere, non malè precari, aut ſententiam ferre. Alioqui enim inquit

in

in ſuum ipſius documentum, quod v. 9°. poſſit videretur impingere. Quòd ſi quæratur vlteriùs vnde reſciuerit Apoſtolus damnatum iri homines iſtos, in quos ſententiam damnationis tam rotundè pronunciat? Dicendum eſt eodem modo ac medio hoc ipſi innotuiſſe, quo eoſdem novit ab æterno reprobatos; inſtinctu nimirum ſpiritus Dei, quo reuelante dixerat ſupra, eos iam olim præſcriptos fuiſſe ad condemnationem v. 4°. Meritò igitur væ dicit Iudas; & væ quidé ipſis, nempe ſeductoribus, qui gratiam Deiin laſciuiam tranſtuliſſent. Vnde primum emergit poriſma, ſeu corollarium doctrinale, quod ita habet.

Peccatum ſummè perniciosum eſt, ſeductorem agere, alioſq; profanam vivendi licentiam edocere.

Tantundem aſſerit Iudas cùm væ talibus interminatur, nec tamen hoc ſolus aſſerit, ſed iſtius ſententiæ autorem ſequitur Dominum Chriſtum, qui Mat. 5. v. 19. ſimile effert in ſimiles pronunciatum. *Quiſquis, inquit, ſoluerit vnum exmandatis hiſce minimis, & ita docuerit homines, minimus vocabitur in*

regno

regno cœlorum. Quiſquis ſolverit, hoc eſt violârit, & ita docuerit homines nempe vt ſolvant & tranſgrediantur, vel vnum ex mandatis hiſce minimis, minimus vocabitur in regno cœlorum: hoc eſt, nullus erit, (qui enim illic ſunt, magni ſunt omnes) nullum habiturus eſt locum in cœleſti paradiſo: qui autem cœlo excidit, eodem lapſu in gehennam incidit. Et jure quidem optimo reus peragitur æternæ mortis, qui alios ſeduxerit in errores mortiferos, quippe perditum it fratres Chriſtianos, pro quibus ſanguinem ſuum effudit Chriſtus, quo peccatum maius, magiſque truculentum ne cogitari quidem poteſt. Quid ergò fiet magnis mundi impoſtoribus, Ieſuitis & ſacrificulis Romanenſibus, qui mare circumeunt, & aridam, ut vnum efficiant Proſelytam, & cum factus eſt duplo eum magis gehennæ filium conſtituunt, quàm ſint ipſimet: Imò quid fiet miniſtris quibuſdam evangelicis, qui non ſermone tantùm, & viuâ quod aiunt voce, ſed ſcriptis etiam codicibus ſacrum & ſacratum Deo tempus profanum reddere conantur, divinamq; inſtitutionem Diei Dominicæ in humanam commutare,

tare, vt sic nervos incidant solennis Dei cultus, totamq; adeo religionem funditùs evertant? Quid enim Academici? annon eodem sensu dies dicitur Dominicus, quo cœna Dominica? Cœna autem Dominica nuncupatur non tantum à fine, quòd in memoriam Domini celebretur, sed etiam ab authore, quod à Domino fuerit primitùs instituta. Hoc Theologi fatentur ad vnũ omnes; & mirum profecto est, qui Divi Pauli κυριακὸν δεῖπνον rectè intelligunt; eos Divi Iohannis, κυριακὴν ἡμέραν non posse intelligere. Sed ideo fortassis intelligere non possunt, quia nolunt. Nihil enim homini à natura æquè allubescit ac profanitas, vt scitè nuper dixerunt Ordines Generales fœderati Belgij, nec minùs scitè olim Comicus Poeta à labore ad libidinem procliues sumus. Laboriosum namq; est & molestum valdè homini ψυχικῷ, & carnali totum diem vacare sacris, totum diem inservire Deo, nihilq; prorsus agere, quod suæ possit carni complacere, ideoq; divinæ legis repagula, quæ patientèr ferre nequit, disrumpere conatur, vt eò licentiùs vagari possit, & petulantiùs lasciviret sed irrito planè conatu;

quem enim Deus ligavit ſolutus eſſe non poteſt, vtut maximè velit, & fortiſſimè contendat ſeipſum expedire. ne erretis igitur (Auditores literatiſſimi.) Dies enim Dominicus, διαταγὴ eſt planè divina, quam ab ipſis Apoſtolorum temporibus ad hoc vſq; ſeculum devotiſſimè ſemper obſervavit Eccleſia. Proinde qui hanc ſoluerit, & homines ita docuerit, minimus vocabitur in regno cœlorum. Caueat itaq; Dominico-maſtix ille nuper impreſſus, ne viam latam ingrediatur, & alios ſecum in perniciem rapiat. Quod verò huic dico, ſimiliter dictum velim bifrontibus huius ſeculi Ianis, qui aliò ſpectant verbis, aliò factis, qui doctrina Curios ſimulant, moribus autē Bacchanalia viuunt; nam & hi ſeductores ſunt longè peſſimi, ac niſi maturè admodum, & ſeriò reſipuerint, procul omni dubio infœlicitèr perituri. Vulgus enim auditorum naturam plerumq; refert, & ingenium ſyllogiſticæ concluſionis, quæ dictante logica deteriorem ſemper partem ſequitur. hinc ſi paſtores Eccleſiæ ad inſtar Phariſæorum dicant, & non faciant, vtiq; populus eorum potiùs pravam vivendi rationem imitaturi ſunt,

quàm

quàm sanis, salubribusq; sermonibus auſcultaturi. Nolite igitur vos qui mundi estis luminaria, seductorum artes discere, nedum edocere. Sermone id agatis an opere & exemplo parùm interest, vtrumq; pernicioſum. Nam væ ipsis, væ seductoribus inquit Iudas. Cur autem væ ipsis denunciet, rationē subinde luculentam assignat in sequentibus. *Nam in via Cain &c.*

Ad minorē redit Apostolus propositionē, nec tamen conclusioni penitus valedicit, sed mira quadā brevitate vtramq; simul iungit, & in eadē sede cōmorari facit. Superiùs itaq; memoratis seductorū vitijs, tria hîc annumerat alia ejusdē fæcis & farinæ. Odium nēpe piorum fratrum: Abusum sacri ministerij, nec non ambitiosā honoris Aucupationem; quæ tria tribus illustrantur exemplis ab historia petitis, videlicet, Cain, Balaā, & Core. Quorum primus vehementissimo fratris odio laboravit, secundus turpissimè abusus est munere prophetico; tertius cupidissimè iuhiavit summo sacerdotio, ejusq; ardentissimo flagravit desiderio. Ac bellè quidem & perquàm appositè hominibus istis seductores suos comparat, & committit Iu-

das. Nam vt illi, sic etiam isti, Doctores erant, & mysteriorum Dei dispensatores; nihilominus tamen cum prædictis ægrotarent vitijs gravissimè puniti sunt, & miserrimè perditi, vnde concludit Apostolus Seductores quoq; punitum iri, & suo etiam tempore perituros, idq; in singulis facit eleganter exemplis, quibus hoc commune est, quòd duo nobis exhibeant pensiculanda, quæ a se pendent mutuò, alterum vt causa, alterum vt effectus, ea autem sunt Peccatum & Supplicium; quorum prius ad minorem spectat, posterius ad conclusionem principalis syllogismi. Hoc quò liquidiùs constet, agite, dividamus exempla, & eorum quodq; seorsim perpendamus; Hic verò primum occurrit nobis exemplum Cain [*in via Cain ambulaverunt*.] Iugulavit Cain fratrem suum, Gen. 4. At cuius rei gratiâ iugulavit eum? inquit Apostolus. *Quia opera illius mala erant, fratris autem iusta*: 1. Ioh. 3. 12. Atqui parricidium hoc actio erat singularis & citò transeuns, nec videtur commodè posse via nuncupari, eò quòd via constantiam notet & perseverantiam in proposito; eruditè igitur Theodorus Beza viam Cain interpretatur ma-

malitiam, neq; enim occidisset fratrem nisi odio eum prius habuisset. Quocirca via isthæc Cain in qua dicuntur seductores ambulâsse, nihil omninò aliud fuit, quàm odium ac detestatio piorum fratrum. Ipsi enim malicum essent, bonos nequaquam ferre potuerunt. Hîc illorum extat peccatum dicet aliquis, sed vbi tandem innotescit supplicium? in ipsis ijsdem verbis vt acutè in hunc locum annotavit Iunius. Habuit enim Cain duplicem quasi viam, vnam culpæ in qua ambulavit, alteram pœnæ in qua oberravit: culpæ erat, vt jam dixi, fraternum odium, illudq; via dicitur, quòd in eo durauerit Cain, & constantèr perseveraverit vsq; ad fratricidium: pœnæ autem, quod erraret palabundus conscientiæ stimulis tanquam furijs agitatus, & hoc quidem supplicij genus per τῇ ὁδῷ τὸ πορεύεσθαι, rectè exprimitur hoc in loco, illud interim sedulò aduertendum est, peccatum Cain seductoribus accommodari propriè & specialitèr, supplicium verò generalitèr tantùm & analogicè; sicut enim Cain fratrem odit pium, sic impostores pios oderunt fratres, non tamen sicut ille, extorres facti sunt & vaga-

bundi super terram, sed hoc tantùm vult instituta comparatio: Quemadmodum Cain supplicio gravi & exemplari mulctatus est, conscientiæ profugus ob [illegible]: ita seductores ejusdem culpæ affines, pœnam meritis dignam aliquando luituros. Habemus, credo, mentem Apostoli, progrediamur itaq; more nostro ad porismata didascalica, quæ hic tantùm pauca sunt, & paucis perstringenda. *Ambulârunt seductores in via Cain*, hoc est pessimis ipsi moribus bene moratos vnicè oderunt. Hinc porisma secundum.

2 *Solenne est impijs pios execrari, & optimos quosq; detestabiles habere.*

Quod lipsum suo firmant iudicio Solomon & Soomonis pater, ille in thesi, hic in hypothesi. *Abominationi est improbo rectus viâ*, inquit Solomonis adagium: Pro. 29. 27. *Reddentes malum pro bono adversantur mihi, eò quòd secter bonum:* Davidis est de seipso querimonia. Ps. 38. 20. Sed enim τὸ ὅτι, per se manifestum est, igitur τὸ διότι, magis inquirendnm videtur. Quòd enim impij pios detestentur liquidò satis constat experientiâ teste, cur verò

verò id tantoperè faciant impij, causas indagare, operæ precium est futurum: illæ autem sunt, vt mea fert sententia, potissimùm duæ, vna, quòd hypocritas eos arbitrentur, quibus nihil magis odiosum, altera, quòd eorum integerrimam vitam sibi probro esse ac dedecori summo verissimè opinentur; qui enim malus ipse est, alios quoscunq; suo metitur modulo, nec quenquam sapientiorem, aut Dei magis timentem autumare potest. Hinc fit, vt si qui ipsum superent, & excedant in pietatis studio, aut virtutis curriculo, hypocritas planè deputet, qui id videantur quod non sint, & plus præ se ferant bonitatis in cortice, quam habeant in corde. Tum, vti hostis, fœmina deformis, formosam juxtà stare non sustinet, quòd illius ex pulchritudine, suam magis putet apparere deformitatem; eodem modo qui improbi sunt, probos averfantur, quòd illorum ex virtutibus, sua magis splendere sciant, & erubescant vitia. Recte Sulpitius, *semper inimica virtutibus vitia sunt, & optimi quiq; ab improbis maximè exprobrantes despiciuntur*; Nemo igitur quisquam miretur posthæc, si pios videat in mundo odiosos esse,

nam mundus est impius, *Scimus*, inquit Iohannes, *totum mundum in maligno positum esse*. Potiùs hoc se criterio probet quisq;, ac dijudicet, piorumne an impiorum catalogo sit accensendus. Multi profectò falsi sunt & in suo de seipsis judicio plurimùm hallucinantur, sibi enim videntur optimi, cum sint reuerà omnium pessimi; quòd si ad hunc velint accedere lapidem Lydium omnis protinus fallacia excuteretur; Boni bonos diligunt, neq; possibile est ut quisquam sui similes odio prosequatur, si igitur bonos tute oderis malus vtiq; es, & malis annumerandus. Quæris autem fortasse & interrogas, quis tandem bonus ille sit, quem odisse sit impium esse? Respondeo simpliciter & absolutè bonus quidem nullus est, nisi vnus, nempe Deus, comparatè verò, & secundùm quid, bonus ille nuncupandus est, qui bona facit, vel potiùs qui benè fecerit. Deus enim adverbijs, quàm nominibus magis delectatur. Norma autem & regula faciendi benè, est lex divina. Quare, vt quod res est verbo dicam, bonorum ille albo inscribendus est, qui perfecto & integro corde præcepta legis diuinæ adimplere satagit. Præ-

cepta

cepta hæc quænam ſint, probè intelligimus. *Non occides, Non furaberis, Non mœchaberis* & ſimilia, hæc qui fecerit, bonus eſt, hunc ergò qui oderit malus. Quot ſunt igitur mali apud nos & quantus eſt improborum numerus? Nam eó nunc nequitiæ deventum eſt, vt bonum eſſe crimen ſit, vſq; adeó vt pleriq; homines mali eſſe cogantur, né mali habeantur, quemadmodum feré de ſuis olim temporibus conqueſtus eſt Saluianus Epiſcopus. Qui jurare nunc, & pejerare, qui potare & helluari, qui omnia jura divina & humana ſuſq; deq; habere nolit, Puritanus ilicó audit, & omnium protinùs odio vexatur etiam inter Academicos. Scio quid ad hæc dicturi ſint μισάγαθοι bonorum oſores, ſe nequaquam odio habere aut boni quicquam, aut bonum quenquam, ſed duntaxat ferre non poſſe ſtultam illam curioſitatẽ, quæ vulgò puritaniſmus indigitatur. Sed hoc tantum ſciſcitari ab ipſis velim, vtrùm credant exiſtimentve mandata Dei nimiùm diligenter poſſe obſeruari. Apoſtolus quidem iubet vt accuratè ambulemus, ἀκριβῶς, ad Epheſ. 5. 15. Quin & præcepit Deus mandata ſua cuſtodiri valdè, מאד, inquit

Dav. Psal. 119.3. Imò בכל מאדך cum toto valdè tuo, vt habetur apud Mosen: Deut.6. 5. Quam igitur homunciones ἀφιλαγαθοὶ, stultam appellant curiositatem, ea demùm vera pietas est, & secundum viam illam, quâm Puritanismum dicunt, Deo vivo serviendum est, eiusq; divinis legibus obsequendum: hoc si tibi probrosum videatur impius es, improbusq; censendus, hanc tibi nigram inussit notam scriptura sacra, atq; hoc stigmate quocunq; iveris pro ipsissimo Cain semper agnoscêre. Sic fuit porisma secundum à seductorum scelere & peccato deductum, sequitur tertium, ab eorundem pœnâ, & supplicio deducendum.

Impij seductores pios quoscunq; odio habebant maximo, nec tamen impunè hoc ferebant, verùm vt in via culpæ Cain ambulaverant, ita etiam in via pœnæ ejusdem Cain ambulaturos indicat Iudas. Quòd si minùs clarè pateat ex loquendi formulâ, qua peccatum & supplicium eodem nomine ac titulo signantur, certò tamen certiùs apparet ex particula præcedente, nam væ ipsis indicitur quòd ambularent in via Cain: qui Cain fratrem propterea

rëa inviſum habuit quod vir bonus eſſet, & iuſtitiæ amans, vnde concludendum manet huiuſmodi corollarium.

Miſerum eſt, & væ dignum bonos odiſſe bonitatis ergò. 3

Nimirum indè eſt, quòd horribiles Dei minas intentet Propheta popularibus ſuis, cùm ob alia ipſorum crimina, tùm inprimis ob hoc vnum, quòd *boni oſores eſſent, & mali amatores*: Mic. 3. 2. Neq; mirum hoc certè, qui enim ejuſmodi ſunt, imaginem Dei viuam quaſi proſternunt humi, & pedibus etiam lutulentis conculcant inhumanitèr, id quod divina majeſtas ferre non poteſt, ac ne vult quidem. Deinde qui bonos quà bonos odio habuerint, eo ſatis indicant, ac demonſtrant ſe minimè bonos eſſe, qui autem mali ſunt miſeri ſunt, quoniam improbi omnes in gehennam ſunt præcipitandi: Pſal. 9. 17. Hoc igitur nobis documento ſit, ne in poſterum bonitatis aut bonorum oſores inveniamur. Vtinam (viri Patres & Fratres) ſic comparata eſſet Academia hæc florentiſſima, vt huiuſmodi ſaltèm monitis nihil haberet opus. Verùm enimverò antiquum illud diverbium, *Sci-*

unt Athenienſes quod rectum eſt, ſed ipſi non faciũt, nimis rectè quadrat in Athenas noſtras, vbi (pudet dicere, ſed fatendum eſt,) nulli minùs diliguntur quàm boni, quàm pietatis, & juſtitiæ maximè ſtudioſi, quàm literis moribusq; optimis cumulatiſſimè ornati. Quæritis vnde hoc ſciam? aut quomodò probem? Argumento ab effectis ducto, quia nulli magis deprimuntur, aut minùs evehuntur ad honores Academicos, honores intelligo non tam gradus, vt vocantur, ſcholaſticos, qui omnibus promiſcuè patent, & nullis ferè abnegantur, niſi pecunia deſtitutis, quàm ſcholarium ſociorumq; ſedes in collegijs, quas cum digni petunt, vix, aut ne vix quidem adipiſci valent, indigni autem facillimè conſequuntur. Annon hoc eſt bonos exodiſſe? Sed non fortaſſe bonitatis ergô: imò vel ob hoc ipſum quod boni ſunt, ac pij nonnunquam reijciuntur: *Quid eſt palea tritico comparata?* Dicit Dominus apud Prophetam Ieremiam, nihilominùs quaſi palea tritico reſeſſet longè pretioſior, dignis ſæpenumerò præponuntur indigni, idq; ab ijs, qui jurati eligunt, quiq; Deum invocârint teſtem, ac vindicem ſuæ

ipſo-

ipsorum in eligendo integritatis. Crimen quo de agitur valdè coccineum est: sed mei me memorem esse oportet: vlcus enim hoc est, neq; diutiùs contrectandum, nè eo fortasse magis intumescat. Alio igitur se convertat oratio nostra, ad eorum nempe solamen, qui bonos diligunt, etiam quà bonos, vel bonitatis ergó. Nam est hæc verè divina virtus, qua qui imbuti sunt deo maximè similes existunt. Deus enim bonus est, imó bonitas ipsa, nec vlli magis Deo diliguntur, quam qui bonos diligunt. Hoc enim qui faciunt boni tantum sunt: gaudete igitur bonorum amantes, nam Deo estis amabiles, Deus ipse vosmet pro amicis habet longé charissimis: sic enim scriptura Abrahamum insignivit, amicum Dei; vos autẽ Abrahami filij, quibus propterea regnum cœleste in beatam æternamq; cedit hæreditatem. Ac de primo quidem exemplo hactenus dictum sit, nunc aspirante Deo secundum ventilemus.

Et errore Balaam propter mercedem effusi sunt. Proximum dehinc scelus, cujus insimulantur falsi doctores, κατάχρησις est & abusio sacri ministerij, quæ nequaquam hîc

proprio celebratur nomine, ſed exemplo Balaami tanquam typo quodam myſticè adumbratur. Sicut enim Balaam propheta cum eſſet, omninò par erat, vt prophetarum more auditores & diſcipulos ſuos probè inſtitueret, ille autem contrà Balaaco impoſuit, atq; vt offendiculum obijceret coram filijs Iſrael, nequiſſimè perſuaſit: ita etiam ſeductores, miniſtri cum eſſent & præcones Evangelici, debebant certè & tenebantur ex officio ſanam pietatis doctrinam annunciare, illi autem officio inſuper habito lethale impietatis venenum vndiq; ſpargebant. Sed ipſum paulò penitius contextum perquiramus, in quo tria ſunt præcipuè notanda, quæ ſeductores noſtros proximè attingunt, peccatum ſcilicet; peccati incentivum, ejuſdemq; ſupplicium. Peccatum erat horrenda ſacrorum vt dicuntur ordinum profanatio, quæ hic *error Balaam*. Apoc. 2. 14. *Doctrina Balaam* 2. Pet. 2. *aberratio, rectæq; viæ derelictio* nuncupatur. Nam longè quidem aberrârunt & rectam profeſſionis viam turpiſſimè dereliquerunt Impoſtores, quando gratiam Dei in laſciviam tranſferebant, hominesq; ad profanam

fanam viuendi licentiam proſtituebant: hoc enim erat erraticis Balaami veſtigijs inhærere, qui doctrinâ ſuâ peſtilentiſſimâ induxit Balaacum regem, vt, objectis pulchris mulieribus Iſraelem Dei primò ad corporale, deinde ad ſpirituale pelliceret adulterium. Peccati incentivum erat avaritiæ ſtimulus [*propter mercedem* inquit Iudas vel *mercedis gratia*] nam poſt genitivum μισθοῦ ſubaudiendum eſt vel τὸ ἕνεκα vel τὸ χάριν ex ſententia Adami Sauſbut, quem hac in re ſecuti videntur interpretes Anglicani noviſſimi. Supplicium deniq; erat exitium infernale, adhuc futurum illud quidem, ſed præteriti temporis verbo notatur hîc ad certitudinem indicandam [*effuſi ſunt*] quo innuitur, æquè certò eos perituros eſſe, ac ſi iam perijſſent. Videtur autem de induſtria ἐξεχύθησαν poſuiſſe, quod latinè ſonat [*effuſi ſunt.*] vt eo poſſit ad interitum Balaami cujus ſanguis effuſus erat (ferro enim perijt) elegantiùs alludere, vti pridem fecerat in exemplo Cain. Iam verò tria illa, quæ dudum diviſimus in vnum rurſus coaleſcant vt inde oriatur poriſma quartum [*errore Balaam propter mercedem effuſi ſunt.*] Seductores nempe, (nam de illis

illis ſermo habetur) ſeductores effuſi ſunt æternamq; ſibi perniciem accerſiverunt. Quærenti autem qua id ratione aut quo fecerint pacto? Reſpondet Apoſtolus [*Errore Balaam*] vel errando ſicut Balaam extra viam profeſſionis & pro bona fruge nequitiam prædicando. Quærenti vlteriùs, quâ demum illecebrâ tantum in ſe flagitium admiſerint? Reſpondet iterum Apoſtolus [*propter mercedem*] *vel* [*mercedis gratia*] errorem eos Balaam inſecutos eſſe. Atqui nullus major reatus quàm animarum ſeductio, nullum turpius allicium, quàm lucri ſpes & cupiditas, nulla gravior pœna quàm ſupplicium gehennæ ſempiternum: hanc tamen pœnam, per reatum hunc, allicio hoc inducti ſubierunt Impoſtores. Ergo (quæ hinc ſequitur concluſio didaſcalica.)

Nullum adeò tetrum eſt, aut damnabile ſcelus, quod non audactèr perpetrabunt avaritiæ mancipia.

Hac incitatus Ahab Nabotho innocenti vitam eripuit, vt vineam poſſideret: hâc percitus argenti ſignator ille Demetrius maluit Epheſo euangelium pelli, quam de

decompendio ſuo quicquam imminui; hac inſtigatus Iudas Iſcariotes Servatorem Chriſtum nefariè prodidit & vili vendidit pretio, triginta duntaxat argenteorum. Quòd ſi memorias temporum recolamus, plures adeò ſervos, liberos, ſubditoſq; inveniemus, qui ſuis vel Dominis vim intulerint, vel parentibus venenum præbuerint, vel principibus inſidias ſtruxerint, vt ex quolibet ſcelere quæſtum ſibi facerent, & lucrum turpe quomodocunq; corraderent, vt meritò videatur exclamâſſe poetarum coryphæus. *Quid non mortalia pectora cogit Auri ſacra fames?* Nempe enim quæſtus ſordidorum Deus eſt, & quod Deus Imperat, id exequi neceſſe habent. Sed neque ineſt avaris neq; ineſſe poteſt, vel mica ſalutaris gratiæ, cum tota illorum corda mundus vbiq; repleat; & ne vſquam ingrediatur ſpiritus Dei, peſſulum opponat. Qui autem ſpiritu carent, & gratia deſtituuntur, Diabolo pleni ſunt, eiuſq; inſtinctu vitijs quibuſcunq; & ſceleribus impotentèr indulgent. Faceſſat igitur avaritia, & procul abigatur à cordibus noſtris; quòd teſtante ad Timotheum Paulo radix ſit malorum omnium. ſcitè olim Bion, qui hanc

vocabat vitij metropolin; ſcitè etiam Timon qui malorum elementum; ſed neuter tam ſcitè quàm Apoſtolus noſter, qui radicem appellat malorum omnium; non paucorum dicit, aut multorum, aut verò etiam plurimorum, ſed omnium, malorum omnium, nec cauſã dicit, principium, originemve, ſed radicem; radix eſt malorum omnium. Alia proinde vitia ſurculorum inſtar ſunt, aut ramorum arbori innaſcentium, hoc verò vnum truncus eſt, imò radix, vnde oriuntur, & naſcuntur omnia: abſcindantur ſurculi, defringantur rami, quouſq; tamen radix ſteterit illæſa, iterum accreſcent, iterum reviviſcent, iterum ſe in altum attollent & cœlum verſus erigent: Fruſtra igitur ſumus ſi vitiorum capita amputantes, ipſam hoc pacto vitioſitatem interimi poſſe autumemus, ipſum cor huius Hydræ tranſfodiendum eſt, ipſa radix, avaritia, funditùs evellenda. Quod niſi factum fuerit, nunquam ſanè horrendum, & teterrimum illud paſtoralis negligentiæ crimen evitabimus, ſed quod alij faciunt, ſemper agemus homicidas, ſemper animicidas. Nunquam fidei noſtræ commiſſas fundatorum eleemoſy-

nas

nas, quæ gratis dandæ ſunt, venales facere nefas arbitrabimur. Talia enim peccatorum monſtra progignit malorum omnium radix, avaritia; hanc itaq; extirpemus, vt areſcat tandem; nec vlteriùs vigeat in Muſarum domicilijs, in memoriam illud Apoſtoli identidem revocantes, ἀφιλάργυρος ὁ τρόπος, *ſint mores veſtri alieni ab avaritia, alieni ab amore pecuniæ: ſitis contenti præſentibus. Nam ipſe dixit, nequaquam te deſeram, nec vnquam te derelinquam:* ad Heb. 13. cõmate 5. verùm mihi Cynthius aurẽ vellit, meq; à ſecundo ad tertium vocat exemplum, in quo terminabitur oratio mea.

Et conrradictione Core perierunt] Seductorum hîc redarguitur ambitio, ſub effigie quadam, & typo hominis ambitioſi. Erat enim Core, vel Corach gregarius quidam miniſter legis ex Levitarum familia, qui ſorte Levitica non contentus Aharonicæ dignitatis faſtigium affectabat. Medium verò, quo id quod præpoſterè appetebat, arripere conatus eſt, contradictio erat vel oppoſitio, non tam re, quàm verbis facta, contra Aharonem ſummum Dei ſacerdotem, vt hiſtoria teſtis eſt. Num. 16. Pulchrè igitur, & venuſtè ſeductorũ ambitio appel-

latur hîc Core contradictio, eiq; ſupplicium apponitur ſummè adæquatum ἀπώλοντο, inquit Iudas, latinè, *perierunt*, *Contradictione Core perierunt* Seductores, quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet Apoſtolus. Quemadmodùm Core Levita ſacerdotij ambitu, certum ſibi interitum conciliavit, ita homines iſti honori ſuo nimiùm velificantes jamjam in perditione verſantur, idq; tam certò, quàm ſi aut igne cœlitùs miſſo abſumpti eſſent, aut terræ dehiſcentis voragine abſorpti. Duæ itaq; res ſimul hîc ponuntur ob oculos. Culpa viz. & pœna Seductorum. Culpa, ambitio; pœna, perditio, in vtraq; Corachum imitabantur, eiuſdem cum eo criminis rei, eiuſdem & diſcriminis participes facti ſunt. Nec immeritò quidem: judice enim Tullio, *Qui in eadem cauſa ſunt, in eâdem debent eſſe fortunâ.* Nos à culpâ auſpicati, indeq; ad pœnam progreſſi, paucis vtrobiq; notatis, finem dicendi properè faciemus, vt hoc ſaltem pacto, quod deſideratur in rerum pondere, aut verborum elegantiâ, decurtata poſſit brevitate compenſari. Culpa. Ambitio.

Ambitionis fermento turgebant falſi doctores,

doctores, etenim Core ἀντιλογία, istorum erat φιλοτιμία: hoc verò alicui mirum videri posset, cogitanti eos nec moribus, nec doctrina ad vel infimum honoris gradum capessendum idoneos extitisse. Mores enim quàm turpissimos exhibebant, & vitam agebant inquinatissimam, vt ex tenore liquet totius epistolæ. Doctrinam planè nullam calluisse videntur; neq; enim aliter ignorantiam illis rerum obiecisset Apostolus v. 10. verùm ita prorsus vsu venire solet.

Nulli clericorum tàm sunt ambitiosi, quàm qui honoribus maximè sunt indigni. 5.

Huius quinti Porismatis exempla nimis multa leguntur in historijs passim, quibus tamen nunc supersedendum puto. Vnus modò Diotrephes instar omnium esse potest, qui cum pastor ecclesiæ ordinarius tantum esset, præesse tamen volebat fratribus, & ministerium vertere in imperium. Hinc ad perpetuam rei memoriam infami admodùm titulo insignitur, dictus ab Apostolo Diotrephes ὁ φιλοπρωτεύων, epistol â Iohan. 3. v. 9. vetus illud est, & verum ni-

mis adagium, *vbi vber, ibi tuber.* Sed vnde hoc? vnde homines proletarij tantos ſumpſere animos, vt ſe, cum indigni ſint minimis, maximis tamen dignitatibus dignos arbitrentur? Profectò vtres ſunt, ſuperbiæ, & arrogantiæ vento inflati, qui in ſummo ſemper natare geſtiant, nec in imo queant ſubſidere diutiùs, quàm premantur. Prout enim in natura fieri ſolet, vt ſpatium omne nullo repletum corpore ſolidiori occupet ſubtilis aër; ita etiam in hominibus accidit, quibus ſolida virtutis & bonarum artium ſupplementa deſunt, eos turgida quædam, & ventoſa ad evitandum vacuum ſubit ambitio. Quo minùs certè mirandum eſt, ſi temporibus hiſce noſtris multi proſiliant ad eccleſiæ gubernacula, qui vix remũ tenere in eâdem ſciant: veſtrũ eſt, Auditores, horũ quoad poteſtis audaciam reprimere; huc enim confluunt ſingulis fere Comitijs homines parum docti vt Doctores fiant, eo duntaxat fine, vt gradibus evecti Academicis ad honores gradatim aſcendant Eccleſiaſticos: hi autem illi ſunt, qui veſtris debitam laboribus, & vigilijs palmam præripiunt, mercedem intervertunt; his ergò

repagulum

repagulum opponite, vt, quas minimè merentur, dignitates minimè assequantur, hoc vnum vobis negotium incumbit solicitè peragendum. Sed & illud sedulò enitendum est, vt his quàm absimiles esse videamini. Christus cùm in monte prædicaret Discipulis suis, præter alia plurima, hoc etiam in mandatis dedit, ne essent ὡσπεὶ οἱ ὑποκριταὶ, quasi vel tanquam hypocritæ; aliud erat hypocritas esse, aliud tanquam hypocritas, voluit autem eos ne hypocritis quidem similes fieri; ita me vos compellare oportet, & cohortari. Hominibus ambitiosis ne assimilamini quidem: ambitiosos vtiq; damnatis, scio; sed ne sitis tanquam ambitiosi; illi autem cujusmodi, & quomodò sese ferant, nulli ignoratis. Re quidem & merito inanes sunt, spe autem, & superbia pleni; beneficia beneficijs accumulant, aulas principum circumvolant, magnatibus adulantur, ambiendo, largiendo, quidlibet agendo, ferendo, dicendoq; opima sibi comparant prædia, & optimos quosq; honores invadunt, quibus tamen omnibus omnium maximè indigni sunt, sed quò minùs digni, eò magis ambitiosi, quod superiùs

riùs annotatum. Horum igitur ne essote similes, quin modestiam potiùs sectemini antiquorum patrum, qui ab hoc principandi studio, & turpissima mercaturâ tam fuerunt alieni, vt honores etiam opulentissimos, cum oblati essent, obnixè recusauerint. Martinum narrat Sulpitius è monasterio vt Tyronisepiscoparetur, non facilè erutum. Eustatium Episcopi, sacerdotes, & populus ad ecclesiæ regimen Antiochenæ etiam nolentem venire compulerunt. De Cornelio Romæ quondam Episcopo scribit Cyprianus in hæc verba; *Episcopatum nec postulauit, nec voluit*, & paulo post, *Non vt quidam, vim fecit, vt Episcopus fieret, sed & vim passus est, vt Episcopatũ coactus acciperet.* Tãt° erat pudor inveteribus olim ecclesiæ Antesignanis, a quo longissimè abest nostrorũ impudentia temporum: vos verò monenti auscultantes Apostolo, μὴ τὸ κακὸν ἀλλὰ τὸ ἀγαθὸν imitaturi estis, & divinum illud Chrysostomi cordibus indituri. *Bonum quidem opus desiderare bonum est; honoris autem primatum concupiscere vanitas.* Hæc de culpa, quæ vocatur ambitio; Culpam à tergo sequitur pœna, quæ perditio nuncupatur. [ἀπώλοντο]

Perierunt]

Perierunt] ambitione suâ perierunt falsi doctores, in æternum perierunt. Sensus per se clarus, & sententia satis manifesta: sit itaque porisma sextum hoc.

Nullus ambitione gravior, aut pestilentior morbus homini potest ecclesiastico obvenire,

Hanc Basilius morbum appellat Diabolicum, credo, quòd diabolus eo correptus in æternum se exitium præcipitaverit. Nec Diabolus tantùm perijt hoc morbo, sed ejus etiam filius natu maximus Pontifex Romanus. Quis enim Papâ ambitiosior? quis miserior? oppositit se, & extulit supra quicquid dicitur Deus, aut numen, supra omnes reges, ac principes terræ, ipsamq; supra divinam majestatem; sed quò altiùs petit ascensum, eò gravius decidet, adimum vsq; detrusus infernum, ex quo nomen adeptus est iniquitatis paritèr, & calamitatis plenum; nam vocatur ab Apostolo, ὁ ἀνθρωπος της ἁμαρτιας ὁ υἱος της ἀπωλειας, *Homo peccati, & filius perditionis:* 2. Thess. 2. Sed & minor ambitionis aura, quàm

quæ Papam inflat, cuivis clerico lethalis eſt, & gehennæ minatur incendium. Eſt enim ambitio arrogantiæ filia, quâ nihil magis Deo adverſatur, Qui Iacobo teſte *ſuperbis obſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Nec arrogantiæ tantùm filia, ſed etiam contentionis mater eſt ambitio, omniumq; in eccleſia turbarum procreatrix. Væ autem turbantibus eccleſiæ pacem & diſcordiam ſeminantibus. Quin etiam fidei cauſa corrumpens eſt ambitio, quod teſtatur Chriſtus, cum Iudæos ſic alloquitur, *Quomodò vos poteſtis credere, cùm gloriã alij ab alijs capetis, & gloriam illam quæ a ſolo Deo proficiſcitur non quæratis.* Io. 5. v 44. Imò res adeò perniciosa eſt ambitio, vt non fidem ſolummodò deſtruat, ſed omnia etiam Spiritus ſancti chariſmata penitùs elidat. Sic enim Bernardus. *Ambitio ſubtile malum, ſecretum virus, peſtis occulta, vitiorum origo, virtutum ærugo, tinea ſanctitatis, cordium excæcatrix* & quæ ſequntur ibidem elegantiſſima. Quid ergo? Num perituri ſunt omnes, quotquot hujus mali veneno inficiuntur? Abſit vberiorem ſcriptura gratiam offert, quando tales ad modeſ-

tiam

tiam animiq; ſubmiſſionem toties adhortatur. Legimus enim Chriſti diſcipulos ter inter ſe de primatu contendiſſe: ſed hoc illis accidit, cum tenelli adhuc eſſent, & nuperrimè converſi. Poſtquam verò pleniorem ſpiritus hauſtum imbibiſſent, & eorum fides iam adulta eſſet, & aliquatenus confirmata, abjectis illicò plumis arrogantiæ humiles ſe dederunt, alioſq; modeſtiam, & humilitatem enixè docuerunt. Adeamus itaq; cœleſtem medicum, vt qui illos ſanauit, nos quoq; ſanos reddat, per ſpiritus ſui gratiam, in corda noſtra paulò adhuc vberiùs & abundantiùs effuſam. Nam ægrotamus quidem certè, & lethali ambitionis morbo valdè laboramus. Quid enim attinet intemperiem animi occultare? *pudor malus vlcera celat.* Nec celari quidem poteſt, quod in aprico eſt, & in ipſis adeo frontibus exaratum. Opportunè igitur & citò quæramus medicinam, ne cum falſis Doctoribus in æternum pereamus. Peccarem certè in commoda publica, ſi vos hic diutiùs detinerem, nunc igitur vela contraham, & ad portum vobis optatum cito citiùs

perorando appellam.

Apostolus quemadmodum accepistis, tria seductorum crimina & flagitia, hoc enarravit versu vndecimo. *Bonorum odium, sacræ functionis abusum, nimiumq; honoris appetitum.* In quorum primo τῷ Cain, in secundo Balaam, in tertio Core eos tanquam similes, & gemellos æquiparavit. Hîc verò non levis oboritur dubitatio, quî fiat, vt cum his maximè hominibus conferantur impostores Iudaïzani? Annon enim alij istorum perinde criminum affines erant, atq; Cain, Balaam, & Core? Erant profectò, sed hi potissimum ac præ cæteris delecti videntur, duplicem ob causam: Primò quòd non tantum crimina hæc gravissima perpetrâssent, sed ob id pœnas etiam tulissent gravissimas, & exemplares. Deinde, quòd ejusdem loci, muneris & officij essent cum Doctoribus falsis, clerici nimirum & sacris initiati. Hoc de Core certissimum est, fuit enim Levita, Num 16. 1. & propterea solus hic memoratur, Dathan & Abiram, qui in eadem causa fuissent, silentio prætermissis: nec minus certum est de Propheta

Balaam, sic enim disertè nuncupatus in secunda Petri. De solo Cain restat ambigendum, fueritne è collegio Clericorum? cum verò nodum facilè solvit, expeditq; Drusius, notans ex Hebræis, cunctos ante legem primogenitos fuisse sacerdotes, Cain vero Adami primogenitus, sacerdos igitur; quod si ille sacerdos, omnes ergò clerici, & clericorũ cum clericis aptissima est comparatio. Iam verò concludamus hinc porisma septimum, quod & vltimum erit, atq; coronis omnium. Cain sacerdos quòd odisset pium fratrem perpetuò exulauit ab ecclesia Dei, Balaam propheta, quod consilium regi pessimum dedisset ferro peremptus est, ejusq; in terram sanguis effusus: Core Levita, quòd honorem Pontificatus malè concupîsset plaga cœlitùs immissa deletus est; Doctores deniq; falsi quòd hæc ipsa & alia etiam plurima designâssent facinora in æternum perditi sunt. Ergo (notetur illatio)

Maximè omnium infœlix futura est Clericorum conditio si improbè vixerint,

erint, & in cœno peccatorum ſeipſos volut averint.

Quicunq; iram Dei præſentem aut futuram effugient, illi certiſſimè eam ſubituri ſunt. Horrenda ſanè concluſio: nec tamen plus in ſe terroris habet, quàm veritatis. *Deus enim ſanctificabitur in iis, qui ad ipſum prope acceſſerint, vti palàm ipſe de ſeipſo teſtatus eſt*, Lev. 10. *ſanctificabor, inquit, in propinquis meis*: hoc eſt Miniſtros meos intimos acriter plectendo cùm dereliquerint, gloriam, & ſanctitatem nominis mei palàm indicabo. Hoc verò non contingat nobis precor, ſed inimicis noſtris, impio & impuro Eccleſiæ Romanenſis clero, qui in amplexu jacent Babylonicæ meretricis. Nos ergo Clerici Anglicani ne ex illorũ numero ſimus, qui multum habent ſcientiæ, parum conſcientiæ, ſed bonorum operum impendiò ſtudioſi, Deum in terris pauliſper glorificemus, vt à Deo in cœlis æternum glorificemur. Plura non eſt vt adijciam verba. Summa igitur ſit, divina Pauli ad Titum cohortatio, quam ſibi dictam putet vnuſquiſq; noſtrum. *Tu autem loquere quæ decent*

ſanam

ſanam doctrinam, per omnia teipſum præbens exemplar bonorum operum. Quod vt præſtemus diligenter ac ſedulò, faxit Omnipotens Deus, cui cum Filio Vnigenito Redemptore & Spiritu Sancto Paracleto, ſit omnis gloria, poteſtas, & majeſtas in ſecula ſeculorum,

Amen.

FINIS.